3

DECRETA CONGREGATIONIS GENERALIS VNDECIMÆ.





Vm ex Decreto Innocentij X. Pontificis Maximi de habendis Congregationibus generalibus singulo quoque nouennio, haberi Cōgregatio huiusmodi deberet ante exeuntem Martium currentis anni 1661. impetratum est à S. D. N. Alexandro VII. vt pro maiore eorum, qui ad illam conuenturi essent commoditate, illius cogendæ tempus vsque ad insequentem Maium eiusdem anni prorogaretur.

Ad diem itaque 8. Maij, in quem indicta à R. P. N. Generali Gosuuino Nickel erat Cōgregatio, cùm adessent Patres omnes, quibus ius erat conueniendi, exceptis Patribus Lusitanis, & Sardis, ac P. Io: Baptista Viuet Rectore Barcinonensi, qui tamen eo die expectabatur; nullaque affulgeret iu- *Desideratio initio Congregationis.*

sta spes aduentus, neque Substitutorum è Sardinia pro Viceprouinciali, & Socijs, luctuosum ad ostia Tiberina naufragium passis, neque Lusitanorum Patrum; visum fuit inchoari oportere Congregationem sine dilatione, adeoque inchoandam esse postridie eius diei.

Decretum 1. *in MS. Act.* 5.

De eligendo Vicario Generali.

CVm R. Pater N. Generalis ostendisset Congregationi se ob senij grauitatem, & corporis impedimenta, nō posse amplius tot, ac tantis officij sui laboribus parem esse, & eo animi vigore, quo oporteret Societatis gubernationem administrare, ideòque vltrò rogaret, vt Vicarius sibi daretur vel ad tempus, vel perpetuus, & cum iure, vel sine iure successionis, prout ipsi Congregationi videretur, præsenti statui, rebusque Societatis magis conducere: Congregatio obsequendum duxit voluntati charissimi, optimèque meriti Parentis sui. Quò tamen certum opportunumque consilium in tanta re, commodiùs caperet, indixit biduanam deliberationem, & cessationem interim à consessibus; adiecit P.N. Congregatione probante, præcepti obligationē, de re dum geritur, nemini vulganda.

Decretum 2. *in MS. Act.* 6.

Eligendus Vicarius cum iure successionis.

EXacto biduo ad deliberationem indicto, conuenerunt Patres ad decernendum, secretis suffragijs (nam id petierat P.N

Ge-

Generalis, & Congregatio approbauerat) cuiusmodi Vicarius eligendus in presens videretur? omniumque solis quinque exceptis, concors sententia fuit, eligendum Vicarium perpetuum, cum iure succedendi. Electio autem visa est differenda tantisper dum conueniri super ea opportuniùs posset Summus Pontifex ad Vrbem, vnde tunc aberat, rediturus propediem.

Decretum 3. in MS. Act. 7. 8. &c.

P. N. Generalis à dirigendæ Congregationis officio ob inualetudinem reuocatus, vices suas P. Dominico Langa, Assistenti Hispaniæ, & Assistentium antiquissimo, commisit, nec amplius vlli conuentui interfuit. Cum autem ageretur de Postulato duarum Prouinciarum, vt iurati ferant iudicium, qui iudicaturi sunt de excellentia talenti, quod supplere potest defectum doctrinæ requisitæ ad Professionem, post longam, & accuratam disceptationem, iudicatum tandem est magno suffragiorum concursu duas tertias non parum superante, non esse iuramentum eiusmodi exigendum, & sufficere ad Postulati finem, si prescriptæ in Congregationum Decretis pro subiecta materia cautiones adhibeantur. Et cum postridie Patrum vnus intercessisset, auditæque essent illius rationes, censuit Congregatio non esse intercessioni deferendum.

Absentia P. Nostri.

De excellentia talenti ad professionē non exigendum iuramentum.

Decretum 4. in MS. Act. 16.

Petenda facultas eligendi Vicarium perpetuum.

HAbita declaratione mentis Patris N. Generalis de potestate, quã habiturus esset Vicarius mox eligendus, statuit Congregatio, vt libellus supplex offerretur summo Pontifici, quo communi nomine Congregationis, & Patris N. Generalis postularetur Apostolica benedictio, & facultas quatenus opus esset ad eligendũ Vicarium perpetuũ cum iure successionis, & cum vniuersali, ac libero exercitio potestatis. Designatio autem Patrum, qui libellum offerrent, permissa fuit P. Generali,

Decretum 5. in MS. Act. 17.18.19.20.

Procurator Sardiniæ admissus ad negotia.

OBlatis Congregationi patentibus literis Prouincialis Sardiniæ, quibus P. Iacobum Cartam eius Prouinciæ subditum Romæ agentem, Procuratorem constituit ad negotia cũ approbatione Patris N. Generalis, rogata est Congregatio: Placeret ne illum admitti? Censuit illa admittendum, & quidem de iure, sed ad negotia tantum, post electionem Vicarij.

Decretum 6. in MS. Act. 20.

Breue Pontificium de eligendo Vicario perpetuo impetratum.

PVblicè lectum est Breue Pontificium, quo ample, & plenè tribuitur Congregationi petita facultas eligendi Vicarium Generalem perpetuum cum futura successione, ac cum vniuersali, & libero exercitio potestatis. Cumque omnia iam essent satis expedita, placuit inchoari die proximè

se-

ſequenti quatriduum ante electionem, proponique Interrogatorium, & fieri cætera quæcunque ad negotium tranſigendum requirebantur.

Decretum 7. *in MS. Act.*17- *&* 20.

DE formula iuramenti præſtandi in electione Vicarij ſtatuit Congregatio vt eadem eſſet, quæ in Generalium electionibus vſurpatur, ſola vocis *Generalis*, in voces; *Vicarij Generalis, cum iure ſuccedendi* mutatione. *Formula eligendi Vicarium perpetuum.*

Similiter retinendam cenſuit formulam Decreti, quæ in Generalium electionibus enunciatur, ſola mutatione vocis *Generalem* in voces: *Vicarium Generalem cum iure ſuccedendi, & poteſtate iuxta Breue Apoſtolicum datum* 1. *Iunij* 1661.

Decretum 8. *in MS. Act.*22.

DIe 7. Iunij, qui felicibus auſpicijs incidit in tertium diē feſtum delapſi in cœtum Apoſtolorum, & Diſcipulorum Spiritus Sancti, omnibus rite ſeruatis, acceptiſque à P.N. Generali ob inualetudinem abſente ſuffragijs, electus eſt primo ſcrutinio Vicarius Generalis perpetuus cum iure ſuccedendi, & poteſtate iuxta Breue Apoſtolicum R.P. Ioannes Paulus Oliua elector Prouinciæ Romanæ, & confectum promulgatumque de more ſuper ea re decretum eſt à Padre Dominico Langa Præſide Cōgregationis. *Electio Vicarij.*

Decretum 9. in MS. Act. 23.

De vocabulo Nationis in formula.

AD instantem Assistentium electionem visum est statuere pro hac vice, & nullo ad futuras Congregationes præiudicio, vt nomen *Nationis* ex qua eligi deberet iuxta formulam §. 78. sumeretur non vt synonymum Assistentię, sed pro sola ea complexione nationum, ex quibus vna Assistentia componitur.

Decretum 10. in MS. Act. 24.

Electio quatuor Assistentium.

DIe 12. Iunij, qui erat vltimus quatridui indicti ad Assistentium electionē, electi sunt Assistentes Italiæ P. Alexander Fliscus Præpositus Domus professæ Mediolanensis, primo scrutinio; Germaniæ P. Carolus de Noyelle Substitutus Secretarij Societatis pro Assistētia Germanię tertio scrutinio; Galliæ P. Claudius Boucher Prouincialis Franciæ, primo scrutinio; Hispanię P. Sebastianus Izquierdo Rector Collegij Complutensis, secundo scrutinio. Electione Assistentis Lusitaniæ iudicatum est ea die supersedendum, ob absentiam PP. Lusitanorum. Electi autem præstiterunt de more iuramentum, vocato post electiones omnes peractas ad hoc ipsum præstandum Patre Carolo de Noyelle, qui cœtui nō intererat.

Decretum 11. in MS. Act. 25. & 26.

Electio Admonitoris.

P. Dominico Langa P.N. Generalis iam ab annis aliquot Admonitore, vltroneam officij illius abdicationem non semel apud

apud Congregationem, & apud P.N. proponente, atque vrgente, ac tandem impetrante, electus est in Admonitorem tum Generalis, tum Vicarij P. Nicolaus Zucchius secundo scrutinio.

Decretum 12. *in MS. Act.* 25. 26. 27.

AVdito postulato plurium Prouinciarũ de petenda à Pontifice abrogatione Breuis Innocentij X. *Prospero, felicique statui &c.* Censuit Congregatio consensu planè vnanimi, tentandam esse Breuis totius abrogandi postulationem; qua minimè succedente, singillatim pro partibus supplicaretur; factaque deinde de singulis, post allatas, & discussas prius in partem vtramque rationes, propria suffragatione, confirmatum est, primò, nullo prorsus dissentiente, petendam abrogationem triennij pręfixi gubernationi Superiorum, & imperatæ post triennium exactum, quietis. Secundò, de Congregationum nouennalium abrogatione concors similiter fuit omnium, duobus solis exceptis, consensio. *Petenda abrogatio Breuis Innoc. X.*

Decretum 13. *in MS. Act.* 27. & 28.

PPropofita est quęstio: an impetrata abrogatione Congregationum nouennalium, num videretur nihilominus fore ex re Societatis, si ab hac ipsa Congregatione terminus aliquis seu negatiuus, seu positiuus Congregationibus habendis præfigeretur. Responsum est concordibus sen- *Nullus terminus cogendæ Con. gener. præfigendus à Soc.*

tentijs, non fore; adeoque nec tunc, terminum vllum præfigendum, etiam non obstante Decreto à Congregatione Octaua facto ante electionem, vt habetur in Actis MS.

Decretum 14. *in MS. Act.* 29.

De Doctoribus Theologiæ ante ingressum in Soc.

POstulatum fuit, vt Congregatio decerneret, satis ne sit ad professionem quatuor votorum obtinendam si in preuio ad eam examine mediocritatem excedant in doctrina, qui fuerunt in celebri aliqua vniuersitate donati gradu Doctoris in Theologia, cum hoc illis asserere videatur Congregationis VII. decretum 96. & fauere Regula 19. Prouincialis §. 14. in Ratione studiorum.

Decreuit Congregatio satis esse, idque statutum videri in laudato Decreto, cui nullatenus derogatum sit per §. 3. Decr. 37. Congregationis VIII.

Decretum 15. *in MS. Act.* 29. & 30.

De obligatione expendendi fructus bonorum.

ROgata Congregatio, vt declararet, cuiusmodi sit obligatio ex §. 6. Decret. 17. Congregationis VII. expendendi in causas pias fructus bonorum, quorum possessionem nostri retinent. Declarauit: relicta in suo vigore paupertatis obligatione, intuitu Subditi bona possidentis, nullum Prouinciali per laudatum Decretum in materia, votoue paupertatis grauamen imponi, neque valorem actuum elidi, quibus

ipse

ipſe de fructibus illis aliter diſponat, aut diſponi permittat.

Decretum 16. in MS. Act. 31.43.62.

CVm poſtularetur diſſolutio duorum Collegiorum malè omnino conſtitutorum; Congregatio fecit P. Vicario amplam poteſtatem diſſoluendi non ſolum dicta duo Collegiola, ſed & alia quæcumque eiuſdem notæ, ac rationis, non tantum in Prouincia Romana, aut Neapolitana, vbi maior huius rei vrget neceſſitas, ſed vniuerſim in tota Societate; & occaſione hinc accepta eidem commendauit, vt ſe in admittendis nouis Collegijs exhiberet planè difficilem.

Facta poteſtas diſſoluendi parua Collegia.

Poſuit etiam in ipſius poteſtate, & arbitrio poſtulatam translationem Domus Probationis Moguntinæ in Prouincia Rheni ſuperioris Aſchaffenburgum; & Salinenſis in Prouincia Lugdunenſi, Veſuntionem; commutationem item Domus Profeſſæ Villauiçoſæ in Prouincia Tranſtagana, in Collegium.

Decretum 17. in MS. Act. 31.

DElato ad Congregationem iudicio Patrum, pro Paupertate Deputatorũ, de poteſtate Præpoſiti Generalis ad admittendam, & ratam habendam, poſt donantis mortem, vel profeſſionẽ, donationẽ à Scholaſtico Societatis antè factam certo alicui Collegio: Probauit iudicium Congregatio, ſuo-

Donatio Scholaſtici poteſt rata haberi poſt ipſius mortem, vel profeſſionem.

ſuoq;decreto firmatũ voluit eſſe in poteſtate Generalis admittere, & ratas habere donationes huiuſmodi, non obſtantibus contrarijs reſcriptis Præpoſitorum Generalium.

Decretum 18. *in MS. Act.* 32.

Contra imprimentes libros ſine facultate.

PRopoſitum eſt Congregationi ab ipſo P. Vicario de quærendo, parandoque efficaci remedio ad fortiter comprimendam pernicioſam libertatem edendorum librorum ſine facultate, ſeu proprio, ſeu alieno, aut etiam ſuppreſſo nomine. In quo cũ multa à multis eſſent ſolerter excogitata, & inter opinandum adducta, conuenit Cõgregatio communiore conſenſu, in ea quæ ſequuntur.

1. Vt in Authores animaduertatur grauibus, certiſque pœnis incurrendis: putà, priuatione officij, vocis item actiuæ, & paſſiuæ, inhabilitate etiã ad Dignitates, & Prelaturas Societatis, pœnis etiam corporalibus, pro delicti grauitate, Superioris arbitrio decernendis.

2. Vt hæc ipſa pœnarum capita ad cõplices, & cõſcios etiam Superiores, ea proportione extendantur, quà ipſi magis, minuſue vel Scriptoris conſilia promouendo, vel eadem non reuelando; vel ex officio non impediendo; in præſentem Societatis perniciem dedecuſque peccauerint.

3. Vt librorum nomine intelligi etiam debeant libelli, & folia (vt vocant) volantia,

tia, ac demum quidquid prælo ad publicam lucem committitur.

4. Vt præsumptio fraudis contra illos stare censeatur à quibus accepta scripta Externi vulgauerint.

Decretum 19. in mS. Act. 34. 35. 40.

CVm peruenisset ad Congregationem, per vnum aliquem è PP. Electoribus, notitia Epistolæ ab Reuerendiss. P. F. Ioanne Baptista de Marinis Magistro Generali Venerabilis Ord. Prædicatorum ad dilectos sibi in Dei filio vniuersos, & singulos eiusdem Venerabilis Ordinis fratres, directæ, eiusque manu subscriptæ, ac sigillo munitæ, & ab Ordinis Secretario traditę, in qua Decreta aliquot continentur in honorem, commendationemque Societatis, in Comitijs Generalibus Ordinis condita: Censuit Congregatio, nulla etiam maiori expectata huius rei notitia, huic prouocationi honorariæ respondendum inprimis honorifica gratiarum actione, nomine suo, eidē Reuerendiss. P. Mag. Generali deferenda, tum deinde graui ad nostros omnes commendatione, quam ex Congregationis VIII. sensibus voluit renouatam: Nimirum, vt Illustriss. natuq; maiorem in Ecclesia Ordinem, sanctitate, doctrina, rebusque præclare gestis de illa optimè meritum, peculiari beneuolentia complectantur; de illo magnificè sentiant, & loquantur; alijsque

Veneratione particulari prosequendus Ven. Ordo Prædicatorum.

vene-

venerationis significationibus, & charitatis officijs prosequantur.

Decretum 20. *in MS. Act.* 35.37.44.

Collegia possunt grauari ad soluendum annuam pensionem Domui professæ durāte fabrica.

EX occasione fabricæ Templi, & Domus professæ Neapolitanæ adductum est in quæstionem; an possint Collegia, aut Domus Probationis Societatis, salua paupertate propria nostrarum Domorum professarum, grauari à Testatore, seu Fundatore ad exædificandum Domui professæ Templum, vel Domum collatis in eam rem certis redditibus annuis, quamdiu fabrica durauerit, etiamsi contingeret eam ad triginta, vel quadraginta, & ampliùs annos durare; super qua quæstione multum ac diligenter discussa, approbauit tandem Congregatio vno ferè consensu, iudicium Patrum pro paupertate Deputatorum; nimirum, nequaquam esse contra paupertatem Domorum professarum, quod in quęsito proponitur, si nempe res transigatur ad eundem modum, quo facta, & transacta Neapoli proponebatur.

Cæterum pertinere ad prudentiam superiorum, ne diutius, quā iusta necessitas tulerit, Domus professę talibus redditibus fruātur. Et cum nihilominus aliquis contra intercessisset, auditæ sunt illius rationes, dictisque iterum sententijs, probatum, firmatumque est decretum iam sancitum vnanimi planè consensu.

De-

Decretum 21. in MS. Act. 36. & 37.

RETulerunt ad Congregationem Deputati pro Constitutionibus, & Decretis. In editione Decretorum tum Romana anni 1616. tum Antuerpiensi anni 1635. verè mendosum esse textum Decreti 23. Congregationis secundæ, vbi in adiuncto Definitorum Decreto, leguntur hæc verba; [quod si aliquis imperfectionem secutus particulari alicui Societatis nostræ loco, intra Prouinciam] cum legi debeat (extra Prouinciam) vt habent originalia manuscripta, & colligitur manifestè ex aduersatiua particulà paulò post adiunctà (si verò alicui collegio intra Prouinciam.

Menda in Decretis Congr. correcta.

Item mẽdum irrepsisse in Decretum 51. Congregationis V. & in cap. 5. Ordinat. General. vbi enim in Decreto legitur, placuisse Congregationi, vt postularetur dispensatio super illa parte Decreti Clementis VIII. quæ iubet deputari Confessarios, qui (*à reseruatis absoluant*) & in ordinatione, impetratam esse dispensationem, ne teneantur Superiores deputare Confessarios, qui (*à reseruatis absoluant*) legendum esse (*à non reseruatis*) vt constat ex textu decreti Pontificij, adeoque inserendam esse in vtroque loco particulam negatiuam (*non*) ante vocem (*reseruatis.*)

Agnouit Congregatio ita planè, vt Deputati retulerant, rem se habere, ac proin-

de

de etiam decreuit, emendandos dictos mēdosos textus ad eum modum, quem ijdem Deputati proposuerant.

Decretum 22. in MS. Act. 37.

Contra laxas opiniones in moralibus.

COmpluriuni Prouinciarum postulatio fuit, vt cum Societas ita nunc passim male audiat, & traducatur quasi nimis laxas in moralibus opiniones doceat, & in praxi sequatur, aliquod adhibeatur efficax tanto malo remedium. Congregatio amplexa iudicium Deputatorum pro studijs statuit: Primò monendos seriò Professores Theologiæ moralis, cautè omnino vt doceant, neque quod aliquid probabile reputent, illicò sibi licere arbitrentur, illud in publicum scripto, verboue protrudere. Sed ad id attendant maximè, quod monet Congregatio v. Decr. 41. an communi Scholarum sensui congruat; ac præterea scādalum, vel offensionem aliquam vspiam parere possit. Superiores autem, si quos nouitatum amantes, aut parum cautos in docendo compererint, à munere docendi submoueant, speque omni illius priuent, pœnis etiam alijs, si fortè opus ijs esse senserint, coerceant.

2. In librorum editione, onerandam Censorum fidem, & conscientiam, seuerôs vt se potius, quam molles exhibeant, neque aliquid etiam dubij, ad Societatis famam, periculi sine graui censura abire patiantur:

& si

& ſi quid tale occurrerit Patri Noſtro ſincere, & fideliter prodant.

3 In priuatis congreſſibus, & reſponſis diligenter cauendum noſtris, ne aliquid promant, quod vulgari minimè vellent Nunquam autem ſcripto reſpondeant, in rebus præſertim grauioribus, niſi conſulto, & probante Superiore.

4 Texendum Elenchum, ſententiarum in morali periculoſarum, exquiſito primum Prouinciarum ſenſu, de ſententijs, quæ apud ſingulas ſcandalum; aut offenſionem aliquam habent adiunctam, eumque mittendum ad ſingulas, & in ſingulis examinatum, iterumque Romæ recognitum, ac probatum, ritè communicandũ omnibus.

Decretum 23. in MS. Act. 39. & 40.

CVm permulta eſſent in medium allata ad paupertatem noſtram conſeruãdam in ſua puritate, & reſtituendam etiam ſicubi labefactata videretur, eaque in primis, quæ à Patribus Deputatis pro paupertate fuerant ſolerter excogitata: Cenſuit tandem Congregatio communi conſenſu, committendum P. Vicario, vt ipſe pro ſua prudentia ex ijs, illa eligeret, quæ magis apta, & opportuna eſſe iudicauerit.

De puritate Paupertatis conſeruanda

Decretum 24. in MS. Act. 42. 45. 47. 48.

AVdito iudicio Patrum Deputatorum pro ſtudijs, probauit Congregatio, ſuoque Decreto ſanciuit.

Vt

De examinibus in studijs.

1 Vt Metaphysici iuxta Regulam 23. Præfecti studiorum, & à tertio ad quartum Theologiæ annum gradū facturi vnius horæ spatio examinentur.

2 Vt in reliquis tum Philosophiæ, tū Theologiæ annis media minimùm hora subeatur examen; & Prouinciæ, quæ ex longo iam vsu plus ei temporis tribuunt, consuetudinem suam retineant.

3 Vt examinis annui materia sit ea omnis, quæ à Magistris toto anni currentis spatio tradita fuerit, ijs exceptis, quæ sub ipsum examinis tempus decurruntur, Præfecti studiorum iudicio designandis; siue de cetero Theses ad examen adhibeantur, siue non.

4 Vt qui ante ingressum in Societatem Philosophiæ aliquid aut Theologiæ audiuerint, examinentur, vt præscribit Regula 19, Prouincialis §.5. in *Ratione studiorum*: nisi mallent, quod emensi sunt illorum studiorum iter remetiri; quod quidem nisi Superior, iustas ob causas, negandum censuerit, poterit illis vltrò concedi.

5 Vt ad habendum actum Theologicum seu paruum, seu magnum possit aliquis admoueri requirantur Examinatorum suffragia tria, clara, & minime dubia, quę illius ad actum cum satisfactione habendū capacitatem speciatim enuncient.

6. Si quis habiturus actum magnum ab

ab argumentaturis conclusionem impugnãdam vel argumentum proponendum inquisiuerit, is nulla habita ratione iudicij ex actus successu consecuti, ad examen more aliorum pro professione subeundum omninò reuocetur. Qui verò in actu paruo id fecisset, excidet spe omni actus magni, & complices aut administri huius dedecoris, si qui fuerint, pro ratione culpæ à Superioribus puniantur. Demum Iudices oneratam sciant conscientiam suam, si, cùm aliquid fraudis interuenisse cognouerint, quo de doctrina defendentis iudicium debeat non mediocriter variari, ex solis præcisè responsis, & Actus successu ferant iudicium.

Ad hæc Congregatio præcipua ratione commendatum voluit P. Vicario, vt de Theologicorum actuum numero contrahẽdo, nec non de nimijs inter eos Magistrorum locutionibus compescendis, quoad prudenter poterit, satagat.

Cum autem interposita esset intercessio contra eam partem huius decreti, quæ horam vnam integram examini, à 3. ad 4. Theologiæ annum subeundo præfigit, auditis intercessoris rationibus, confirmauit Congregatio quod iam sanciuerat.

Decretum 25. in MS. Act. 43.

DE Maioratibus Hispaniæ quæsitum est, an Decretum 18. Congregationis V. vetans admissionem in Societatem sine fa- *De maioratibus Hispaniæ.*

cultate Generalis, personæ Maioratus iure gaudentis, illam etiam irritam, & nullam reddat? Congregatio expensis varijs, ea de re, Generalium rescriptis, & audito iudicio PP. Deputatorum pro Constitutionibus, censuit nequaquam inualidam aut irritam esse huiusmodi admissionem.

Decretum 26. in MS. Act. 43. & 44.

Agendæ gratiæ Sanctissimo D. N. ob reditum in Statum Venetum.

QVoniam à tempore, quo Societas nostra reuersa est in Serenissimæ Reipublicæ Venetæ ditionem, nunc primùm conuenit in vnum corpus totum Ordinem repræsentans; censuit Congregatio ad contestandum vniuersæ Societatis gratum animum ob tam singulare & immortale beneficium quo vindicata est fama integritatis nostræ, & ablatum opprobium, quod passim iactabant in nos Hæretici, summas quàm humillimè gratias nomine totius Ordinis agendas esse Sanctissimo D. N. Alexandro VII. cuius auspicijs, Pastorali prouidentia, & sapientissimo ducta perfectum felicissimè suspeximus negotium, quod complures antea magno quidem animi affectu, sed euentu irrito sæpiùs tentauerant.

Etiam Serenissimæ Reipublicæ.

Deinde placuit, vt nomine pariter Congregationis conscriberentur literæ ad Serenissimam Rempublicam Venetam ad contestandam gratam beneficij adhuc recentis in Nostrorum receptione memoriam, &

ad

ad testificandum summũ omnium Nostrorum pro viribus inseruiendi Reipublicæ desiderium.

Deniq;quia præcipuus huius tam exoptati reditus secundum illius Auctorem Sãctiss. D. Nostrum administer extitit Illustriss. & Reuerendiss. D. Carolus Carrafa tunc Sedis Apostolicæ apud Sereniss. Rempublicam, nunc apud S. Cæs. Maiestatem Nuncius, erga illum quoque simili literarum eucharisticarum officio fungendum esse Congregatio consensu vnanimi decreuit. *Etiam Illustriss. Nũtio Apostolico.*

Decretum 27. in MS. Act. 43.

ROgata est Cõgregatio prohibere, ne deinceps literæ, quæ ad Deputatos ad Congregationem Generalem scribentur, à Superioribus Generali inferioribus, aperiri, aut retineri possint, sicut nec ad illas responsa, quod hæ sæpe literæ negotia contineant soli Congregationi, aut Generali communicanda; censuit Congregatio omninò concedendum literis, ac responsis huiusmodi hoc priuilegium, illudque idem ad Electos in Congregatione Prouinciali Procuratores extendendum. *De literis ad Electos ad Cong. Gen. vel Procur.*

Decretum 28. in MS. Act. 27. 45. 47.

CVm spes nulla superesset aduentus Patrum ex Lusitania, visum fuit Congregationi non differre diutiùs Assistentis electionem (quam à se faciendam, & non remittendam, exemplo Congregationis No- *Electio Assistentis Lusitaniæ.*

næ ad P, Vicarium, iam ante decreuerat) designauitque ex speciali dispensatione quatuor Patres Lusitanos Romæ degentes, sed ad Congregationem non pertinentes, à quibus peti possent informationes, sub ijsdem tamen cautionibus, quibus obstringuntur ij, qui ad Congregationem pertinent; ac tandem vltimo die quatridui ad eam indicti, seruatis omnibus, quæ formula præscribit, electus est primo scrutinio in Assistentem Lusitaniæ P. Gaspar de Gouea. Electioni interfuerunt Congregatione permittente, sed suffragium non tulerunt P. Secretarius Generalis, Procurator Generalis, & Sardinię.

Decretum 29. in MS. Act. 46. 49. 50. 59. 60. & 61.

De potestate Vicarij Generalis.

OB casus nouitatem, electi scilicet Vicarij cum vniuersali, ac libera potestate, & cum iure succedendi, placuit Congregationi illius potestatem magis explicatè, & expresse declarare.

1. Declarauit: Exercitium vniuersalis potestatis collatum fuisse Vicario, non cumulatiuè, itaut in duobus Generali nempe, & Vicario, æquo iure residere deberet; sed priuatiuè; idest, ita vt penes solum Vicarium deberet subsistere, atque adeò nō posset Generalis vllam illius sibi partem assumere; itaut si secus aliquid ab eo fieret, illicitè, & inualidè fieret; illudque exercitiū sic explicatum, quatenus opus esset, eidem

Vi-

Vicario de nouo contulit, suffragatione secreta, quæ dum institueretur, parantem excedere P. Vicarium, Congregatio retinuit, voluitque præsentem adesse. Permissum tamen, quod petebat, abstinere, vti à ferendo suo; sic ab inspiciendis aliorum suffragijs, quorum proinde inspectio demandata est Professorum antiquissimo.

2. In casu obitus, vel mutationis alicuius ex Assistentibus, declarauit Congregatio, & quatenus opus esset, decreuit, nominationem noui Assistentis pertinere ad P. Vicarium, & quidem vnicè, audito tamen super hac re P. Generalis consilio, & requisito ad nominati confirmationem, suffragio.

3. Declarauit, & quatenus opus esset, decreuit, in casu grauis infirmitatis ipsius Vicarij, posse ipsum substituere sibi alium Vicarium ad regendam per id temporis Societatem.

4. An vero in casu mortis, si forte cõtingeret Vicarium mori ante Generalem possit Vicarius nominare ante mortem Vicarium, à quo post illam Societas regatur? vel certe ad quemnam pertineat tunc prouidere Societati de Vicario? post agitatam in aliquot sessionibus quæstionem, cum P. Vicarius semetipsum spontanea iuris cessione, exclusisset, eamque exclusionem ipsius rogatu Congregatio admisisset, Eadem cen-

ſuit nominationem Vicarij in caſu propoſito, deferendam eſſe P. Generali ſuperſtiti. ſimul autem decreuit, vt caſu, de quo agitur, eueniente, ſtatim fiat ea nominatio: nomineturque aliquis ex ijs, qui Vicario viuenti adeſſe ſolebant, vt formula præſcribit, vel ex ijs, qui proximè degunt: tum nouus ille Vicarius Congregationem generalem ad electionem noui capitis ſtatim indicat, atque interea Societatem gubernet poteſtate libera, & independente, ſed ea dumtaxat, quam habet ex communi iure Societatis Vicarius Generalis demortui.

Decretum 30. in MS. Act. 51.52.

De promouendo in Societate ſpiritu.

ACtum fuit in Congregatione per plures ſeſſiones de promouendo, augendoque in Societate ſpiritu, ſeu ſtudio rerum ſpiritualium, & cùm multa in eam rem à multis præclarè dicta eſſent, totaque Congregatio magnum omnino zelum præſeferret eius rei ſolidè inſtaurandæ, iudicauit nihilominus abſtinendum ſibi à nouis, eo ſuper, oneribus decernendis; ſed impensè tamen voluit P. Vicario, ac per eum Prouincialibus, & Superioribus alijs commendatum, vt hanc rem, vtpote rerum omnium noſtrarum animam, præcipuâ, ac perpetuâ curâ verſent, executionem vrgendo eorum, quæ ad eam promouendam habet Societas ſatis copiosè præſcripta.

De-

Decretum 31. in MS. Act. 54.

POstulauit Procurator Malabaricæ; An qui ex Europa in Indiam veniunt, virtute, doctrina, alijsque de iure nostro requisitis ad Professionem quatuor votorum, instructi, expectare nihilominus ad eam emittendam illic debeant alios, qui vocatione antiquiores sunt, sed studia nondum absoluerunt?

De promouendis ad professionem.

Censuit autem Congregatio, eos nequaquam debere expectare, & vniuersè declarauit, nusquam antiquiores a minus antiquis debere expectari, quando minus antiqui habent omnia expedita, & antiquiores vel quia studia non absoluerunt, vel defectu ætatis legitimæ, vel alterius requisiti ex parte ipsorum non sunt adhuc ad profitendum expediti.

Decretum 32. in MS. Act. 54.

CVm quæreretur ad quem Superiorem, Rectorem scilicet, & Prouincialem pertinere censendi sint, qui in aliena Prouincia, ijsque Vrbibus diuersantur, in quibus non est Societatis Domicilium? Respondit, & statuit Congregatio ad propinquiorem vtique Rectorem censendos esse pertinere, & ad Prouincialem, cui huiusmodi Rector subest.

Diuersantes in aliena Prouincia.

Decretum 33. in MS. Act. 57.

PRoponente P. Vicario, & probante Congregatione, decretum est, indicen-

Sacrum, & corona indicta pro S. D. N.

dum in Societate vniuersa sacrum vnum, & coronam itidem vnam pro S. D. N. Alexandro VII. in aliquale gratitudinis nostræ specimen, pro tot illustribus beneficijs, & Apostolicis benedictionibus, quibus Congregationem hanc est impertitus.

Decretum 34. in MS. Act. 59.

Petenda confirmatio Pontificia decretorum de Vicario.

Confirmauit Sanctiss. diplomate dato 30. Aug. 1661.

ETsi videbatur non posse dubium esse vllum, quin omnia, quæ ad electionem P. Vicarij, collatamque in eum potestatem pertinent, ritè acta essent in Congregatione, cui scilicet, ad ea omnia sufficiens potestas adfuerat, tum ex nostris Constitutionibus, tum ex Breui Pontificio, tum denique ex consensu, & approbatione ipsius P. Generalis, qui propria syngrapha contestatus fuerat Congregationi, se omni meliori modo, quoniam videbat ita expedire Societati nostræ, illa omnia rata habere; tamen ad rerum gestarum complemẽtum iudicauit, & decreuit Congregatio, supplicandum Pontifici, vt eadem omnia Pontificio diplomate confirmare dignaretur, quò perennis, atque immobilis firmitatis robur accipiant.

Decretum 35. in MS. Act. 61.

Congregatio Prouincialis vna in medio nouennij.

SVscepta est deliberatio, ân si Pontifex renueret abrogare Decretum Innocentij X. de Congregationibus nouennalibus, videretur pergendum in vsu Congregationum Prouincialium triennalium? in qua de-

deliberatione quia agendum erat, de mutandis, abrogandisue aliqua sui parte Constitutionibus, & Congregationum generalium decretis, quæsitum est primò, placeretne de proposita quæstione tractari, & cum placuisset, dictæ sunt sententiæ, fueruntque non pauci, qui censerent omittendas omnino Congregationes Prouinciales omnes intermedias, quæ scilicet fiunt ad electionem Procuratoris. Sancitum tamen est, vt pro hac vice duæ intra decursum nouennij haberentur, in medio vna ad eligendum Procuratorem, in fine altera ad electionem mittendorum ad Congregationem Generalem.

Decretum 36. in M.S. Act. 62.

EXemplo nonnullarum aliarum Congregationum commissa est Patri Vicario Decretorum, & Canonum ex Actis extractio, & cum Prouincijs communicatio. Quo facto, negotijs omnibus iam expeditis, habuit P. Vicarius insignem, & loco, & tempori aptissimam ad Patres cōgregatos paræneßim; tum deinde actis Deo gratijs ex præscripto formulę inter mutuos amplexus cum maxima charitatis significatione finis impositus est huic Congregationi XI. die 27. Iulij 1661.

Decretorum, & Canonum extractio.

LAVS DEO.

Index eorum quæ in Decretis Congregationis Generalis XI. continentur.

Actus Theologicus.

ADActum *Theologicum propugnandum requiruntur tria suffragia. Dec.* 24.§.5. p.16.

Inquirentes *argumentum vel conclusionem ante Actũ Theologicũ puniẽdi.* Dec. 24. §.6. p.17.

Actuum *Theologicorum numerus contrahendus. Ibidem.*

Admonitor.

Admonitoris *electio. Decr.* 11. p.6.

Assistentes.

Assistẽtium *electio.* Dec. 10. & 28. p.6. & 19.

De *voce* Nationis *ex qua eligi debent.* Assistentes. *Decr.* 10. p.6.

Collegia.

Collegiorum *dissoluendorũ potestas facta P. Vicario.* Decr. 16. p.9.

Collegia *grauari possunt ad pendendos annuos census* Domui *professæ durante fabrica etiam ad multos annos, Decr.* 20. p.12.

Congregatio Generalis.

Petita *abrogatio Breuis de Congregatione Generali nouennali & alijs punctis. Dec.* 12. p.7.

Nullus *terminus præfigendus cogendis Congregationibus generalibus si abrogetur Breue Innocentij X. Dec.* 13. p.7.

Congregatio Prouincialis.

Congregationes *Prouinciales duæ tantum in nouennio proximo celebrandæ, si nõ abrogetur Breue Innocẽtij X. Decr.* 35. p.24.

Decreta.

Decreta *aliqua Congregationis II. & V. emendata.* Decr. 21. p.13.

Decretorum *& Canonum extractio commissa P. Vicario. Decr.* 36. p.25.

DO-

Doctores Theologiæ.

Doctores *Theologiæ ante ingressum, possunt promoueri ad Professionem 4. Votorum si excedant mediocritatem.Decr.14. p.8.*

Electio.

Electio *Vicarij perpetui cum iure succedendi proposita à R.P.N. Generali.Decr.* 1. *p.*2.

Petenda *facultas eligendi à Pontifice,& obtentu.*Dec.4. *&* 6. *p.*4.

Formula *Iuramenti & Decreti in Electione Vicarij. Decr.*7. *p.*5.

Electio *P. Io. Pauli Oliuæ in Vicarium.*Decr.8. *p.*5.

Electio 4.*Assistentium.*Decr. 10. *p.*6.

Electio *Assistentis Lusitaniæ.* Dec.28. *p.*19.

Electio *Admonitoris.Decr.* 31. *p.*17.

Examina.

Examina *Nostrorum in studijs quamdiu durare debeant.*Decr.24. §. 1. *&* 2. *p.*16.

Examinis *annui materia decr.*24. §. 3. *p.*16.

Examinandi *qui ante ingressum aliquid Philosophiæ & Theologiæ audiuerunt Ibid.*§.4. *p.* 16.

Generalis.

R.P.N. Generalis proponit Congregationi varios modos eligendi Vicarium, Dec.1. *p.*2.

Absens *à Congregatione propter infirmitatem substituit loco suo Assistentem Hispaniæ.Dec.*3. *p.*3.

In *electionibus secretis duo habuit suffragia.Dec.*8.*p.*5.

Illi *permissa designatio eorum qui libellum offerrent Sũmo Põtifici.Dec.*4. *p.*4.

Libri.

Libros, *libellos, vel folia volantia imprimentes absque licentia grauiter puniendi.*Decr.18. *p.*10.

In *reuidendis libris de rebus Moralibus Censores sint seueri.*Decr.22. *p.*14.

Literæ.

Literæ *ad electos pro Congregatione generali vel Procuratorum & Electorum*

rum ad alios non aperiendæ. Decr. 27. p. 19.

Maioratus.

Maioratum habentis in Hispania admissio sine licentia Generalis non est irrita. Decr. 25. p. 17.

Opiniones Morales.

Opiniones laxæ in re Morali vitandæ & Auctores coercendi. Decr. 22. p. 14.

Nemo scripto respondeat in rebus grauioribus Moralibus, nisi probante Superiore. Dec. 22. §. 3. p. 15.

Opinionum periculosarum in re morali Elenchus texendus. Decr. 22. §. 4. p. 15.

Papa.

S. D. N. Alex. VII. agendæ gratiæ nomine Congregationis ob reditum Societatis in Statum Venetum. Decr. 26. p. 18.

Pro sua Sãctit. indictũ sacrũ & Corona per Societatẽ. Decr, 33. p. 24.

Paupertas.

Obligatio in Superiore ad expendendos fructus bonorum, quæ Nostri possident in causas pias, non pertinet ad votum Paupertatis. Decr. 15. p. 8.

Donatio Scholastici facta Collegio ante mortem vel Vota vltima, potest admitti seu rata haberi à Generali. Decr. 17. p. 9.

Collegia possunt grauari ad soluendos census annuos Domui professæ durante illius fabrica etiã ad multos annos. Dec. 20. p. 12.

Paupertatis puritas valde nostris commendata. Decr. 23. p. 15.

Prædicatorum Vener. Ordo.

Prædicatorum Ven. Ordo speciali veneratione à nostris prosequendus. Decr. 19. p. 11.

Professio.

De excellentia talenti supplentis doctrinam requisitã ad Profess. non exigendũ iuramentũ. Decr. 3. p. 3.

Ad Professionem Votorum quatuor admitti possunt Doctores Theologiæ ante ingressum si excedant mediocritatem

dio-

diocritatem. Decr. 14. *p.* 8.

Habentes *requisita omnia ad professionem non debent expectare antiquiores se in Societate carentes aliquo requisito ex parte sua. Decr.* 31. *p.* 23.

Prouincia.

In *Prouincia aliena diuersantes, vbi non est Collegium, subsunt Superiori vicinioris Collegij seu Domus. Decr.* 32. *p.* 23.

Spiritus promouendus.

Cura *de spiritu promouendo summopere commendata P. Vicario. Decr.* 30. *p.* 22.

Vicarius Generalis perpetuus

Vicarius *Generalis perpetuus cum iure successionis proponitur à R. P. N. Decr.* 1. *p.* 2.

Decernitur *vt eligatur. Dec.* 2. *p.* 3.

Petenda *facultas eligendi a Summo Pontifice. Decr.* 4. *Obtenta. Decr.* 6. *p.* 4.

Electus *R. P. Io. Paulus Oliua Decr.* 8. *p.* 5.

Potestas *Vicarij Generalis perpetui. Decr.* 29. *p.* 20.

Confirmata *à Papa vt in margine Decreti* 34. *p.* 24.

In *obitu Assistentis potest nominare alium. Decr.* 29. §. 2. *p.* 21.

In *casu infirmitatis suæ potest sibi substituere alium Vicarium. ibid.* §. 3. *p.* 21.

Si *moriatur ante Præpositum Generalem quid agendum. Decr.* 29. §. 4. *p.* 21.